

CARMEN GRATVLATORIVM.

DE SERENIS-
SIMI, AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS, ac DOMINI DOMINI SIGIS-
MVNDI TERTII, REGIS POLONIÆ, & designati SVETIÆ,
Magni DVCIſ Lithuaviæ, Ruffiæ, Pruffiæ, Mazoviæ,
Samogitiæ, Livoniæ, Magniq; Principatus Fin-
landiæ &c. Hæredis fœlici in Regnum Po-
loniæ ingreffu & ſubſequenti ſo-
lenni inauguratione, &
Coronatione

CVI INSERTA EST QVERELA DE IMMATVRA
Sereniffimi REGIS STEPHANI morte, & ſepultura;
tum etiam brevis rerum præclare geſtarum
contra MOSCHVM aliarumq; Virtutum
commemoratio.

Scriptum

Ad Illuſtrem & Magnificum Dominum Dominũ IOANNEM
ZAMOISCIVM de Zamofcia, Regni Polonię Archi Cancelari-
um, generaleniq; Exercituum Imperatorem, Belzenſem,
Marieburgenſem, Kniffinenſem Miedczijreczenſem,
Grodecenſem, Dorpatenſem &c.
Capitaneum,

AB

ANSELMO BOCCIO, LIVONO.
RIGAE

Excudebat Nicolaus Mollinus.

ANNO M. D. XXCIIX.

Illustri Heroi, Magnifico & fortif-

simo Domino Ioanni Zamoscio, magno
Regni Polonię Cancellario.

MAXIME Samosci armorum belliq; magister
Sarmatię magnę magnum decus, inclite victor,
Quid facis, & quę nunc mentem bona cura fatigat?

Ante tuas iterumne domos victricia signa,
Falcatos currus, enses galeasq; micantes,
Et tristes pugnas, & diri vulneris ictus
Cernimus? an verò mage nunc has diligis artes,
Per quas paciferę ramus florescit oliuę?

Maxime Samosci patrię lux splendida gentis,
Quem genus & virtus, magnorum & gratiã regum
Nobilitant, Cuius laudes polus alter & alter
Novit, & auratis quem nunc circumuolat alis
Gloria nobilium radix, materq; virorum;
Si iuuat huc placidam paucis aduertere mentem,
Carmina pro tantis meritis tibi pauca canemus.

Prouida te grauitas animi solertis in omnes
Exacuit curas, vigiliq; ita lumine ducit,
Quęlibet vt rerum momenta expendere possis,
Quid prosit fructu, quid Regis & ornet honorem.

Iustitia atq; fides, & cui prudentia rerum
Magna subest, dubio recte qui tempore nouit
Consulere, & Ciues patrięq; iuuare salutem,
Curarum dux, & captis melioribus auctor,
Huic quis sponte sua meritos non æquus honores
Deferat, insignemq; virum fateatur, & ipsis
Fascibus, & sceptri sublimis culmine dignum?

Maxime Samosci armorum belliq; magister,
Tu imperij magno motis discrimine rebus,
Ipse enses ac tela inter, radiosq; rotarum
Versatus, capere arma, & ferro cingere nosti
Pectora, sanguineum quatiens quandoq; flagellum:
Proq; aris patrijsq; focis vt dulce labores
Sit tolerare viris, & laudem morte pacisci,
Exemplo ipse tuo ostendisti. maximus ille
Rex Stephanus, Rex Sarmatici fortissimus orbis,

Te fide



Te fidum accepit comitem, quando ipse volantes
In Scythiam educens aquilas, tentoria fixit
In niuibus medijs, in denso frigore, in ipso
Barbaria adpectu; sed tunc Basiliscus in antrum
Fugerat, & proprias mordebat dente medullas.
Tu tamen optatum Scythico cum principe bellum
Fortiter expertus, tot monstra ingentia victor
Sternis humi, patriosq; lares defendis & aras.

Post tempestates dubias post sortis iniquæ
Nubila, nunc placidam patrio capis orbe quietem.
Nunc tibi magnanimus Gothico de sanguine princeps
Ille Sigismundus patre rege creatus, & idem
Rex bonus, & nostri jubar indelebile sæcli,
Aureus ille Sigismundus, tibi præmia donat
Pro meritis vir summe tuis, te diligit, ornat.

Maxime Samotci armorum belliq; magister,
Si fera bella sinunt, tenues ne sperne camænas,
Nam quoq; tu quondam dulces accedere fontes
Aonidum, sophiaq; soles lastrare viretis,
Quidquid Aristoteles arguto pectore, quidquid
Differuit magnus Plato, subtilisq; Chrysippus:
Itala te coluit tellus, Muretus & ipse
Te colit, ausonia Orator diuinus in vrbe.
Nos etiam Scythicæ nunc ad caua litora Dunæ
Virtutes nomenq; tuum laudesq; perennes
Vocibus efferimus stellantis ad æthera cali:
Te Riga celsa colit, nostramq; Heliconius urbem
Laudibus ipse tuis totam perfudit, in ore
Cunctorum tua fama viget, te Boccius ecce
Carminibus iucundo longum transmittit in æuum:
Ergo illum vir magne uirum fidumq; clientem
Suscipe, & augusto res illius exprime regi.

Nunc te fiderei seruet bona gratia cali,
Carminibus te quondam donec meliore canamus.

Paullus
Oderbornius
Pastor Eccle. Rigenfis.

Illustri, & Magnifico Domino,

Dño IOANNI ZAMOISĆIO de zamoscia, Regni Poloniae Archi Cancellario, generaliq; Exercituum Imperatori, Belzensi Marieburgensi, Knissinensi, Mied-
cziirezensi Grodicensi Dorpatensi &c.

Capitano, Domino suo
gratiosissimo.

REGIS vt Diui STEPHANI nefanda
Mors inauditos peperit dolores,
Maximum Genti tulit ut Polonae
Invida luctum.

Fractus ut morbo STEPHANVS supremo
Orphanos idem Litauos reliquit,
Parca diu putrem in cinerem caducos
Soluerit artus.

Mæstus ut crebrò lachrimas sepulti
REGIS excussit tumulus, dedere
Et diu nobis miseranda nullam
Busta quietem,

Sic SIGISMVNDI remouet latentes
REGIS ingressus populi dolores,
Tollit ex tristi gemitus, grauesque
Pectore luctus.

Sic in arctas solitum reducit
Incolis terras animi vigerem,
Gentibus passim reuocatq; prisca
Gaudia cunctie.

Reddit et vultus, lachrymis remotis,
Omnium princeps hilares; lijsq;
Garrulis ludos, chereasq; nostris
Excitat oris.

Vt regat tandem populum, feratq;
Præstinas leges, cupidisq; Regni
Incolis magni pariter vetusta
Iura ministret.

Tempus

Tempus ut vitæ peragant quiete
Subditi fluxæ reliquum, malisq;
Liberi curis cumulent futuros

Suauiter annos.

Hinc ut infami reprimantur omnes
Gentium motus, furiaq; vulgi,
Et luant dignas proprio rebelles

sanguine poenas

Vt suis cuncti vitijs fauentes
Funditus fontes pereant, & ampli
Membra plectantur scelera ta Regni

Vindice ferro.

Ergò te sacræ dominante leges,
Et tuis ò REX populis vigeant
Iura cum pactis; pietas, fidesq;

Prisca resurgent.

Nam jacent Martis truculenta passim
Arma; succedit, jaculis remotis,
Pax salutaris; redeuntq; nostris

Gaudia terris.

Sic Avi quondam, proauiq; Reges
Optimas Regni statuere leges,
Et represserunt Schijticas perenni

Laude phalanges

Sic & antiqui studio Monarchæ
Auream summo coluere pacem,
suntq; tutati patrias ab hoste

Fortiter oras.

At novum voto Procerum vicissim
Pompa solenni reuerenter omnis
Excipit REGEM, populus frequensq;

Reddit honores

Accinunt dignum, iuuenes, senesq;
Carmen; excultum resonantq; passim
Clasicum, gaudens celebrat potentem

Sarmata REGEM

A iij.

Huno

Hunc canunt, huius renouant honores
Exteri summos populi, Scijtæq;
Barbari dignis meritò Monarcham
Laudibus ornant.

Tollit en nostri mea Musa blandè
REGIS acceptum Diadema, lætis
Cijmbalis omnes simul et Camœnæ
Sceptra celebrant

Hos rudi promptos pharetra ZAMOISCI,
Splendor arctoi populi, ô decusq;
Maximum, paucos tibi LIVO versus
Exhibet HEROS.

Artium cum tu soleas bonarum
Esse Mecœnas, faveasq; Musis,
Plurimum doctis tribuás virisq;
Laude perenni

Suuma te virtus, sapientiæq;
Fama secretis voluit præesse
Regijs; candor reliquis frequenti
Prætulit aula.

Indè te passim tua fortitudo
Hostibus fecit celebrem repressis,
Et tuos strages Scijtici Tyranni
Auxit honores.

Te Polonarum venerantur ergò
Imperatorem populi cohortum,
Te triumphantem reuerenter ornant
Laudibus hostes.

Te Ducem præda, & spolijs potitum
Euehunt victi trepidis ad astra
Vocibus RVSSI, metuunt tuumq;
Robur in armis.

Fortis vt quondam domitis ACHILLES
Regibus Teucrùm, PRIAMIq; Regnis
Proptus euerlis, tulit expetitos

Martis honores,
Magnus

Magnus vt cautè tumidos subegit
REX ALEXANDER Tijrios, & Indos
Vt sibi laudes peperit peremptis
Hostibus amplas.

Diuus vt MOSCHIS STEPHANVS repressis
Sarmatùm REX est quoq; consecutus
Gloriam; æternos meritis vt hisce
viuet in annos.

Sic tibi Illustris, populi, ZAMOICI
Parta vicctori statuunt trophæa,
Nomen vt toto penitus perenne
Floreat orbe,

Hanc piæ sortem tibi gratulantur
Prosperam Musæ, resonatq; dignum
Feruido Carmen studiosa passim
Flore iuuentus,

Hæc Patres olun soboli, senesq;
Facta longæui referent, & annis
Hæc canent longa serie futuris
Gesta nepotes

Rebus vt viuens tibi sempiternam
Fortiter gestis modò comparasti
Gloriam, magnos stabiliq; honores
Laude tulisti.

Sic & æterni moriens celebrem
Nominis famam populis relingues,
Nulla quam tollet, minuetq; quæuis
Arte vetustas

sic tuum cunctis memori vigebit
Posteris æuo decus, & manebit,
Dum polus cœli reget inquieta
Lucidus astra

Sunt mihi testes superùm beati
Cœlites, testis chorus Angelorum,
Idq; confirmat solio benignum
Numen ab alto.

Præstó sunt omnes homines, feræq;
Luna, sol, Stellæ, mare, Terra Siluæ.
Posteris amplum tua qui sonabunt

Facta per orbem,

Ergó quod tradit tibi carmen audax
Phœbus incultum, rigidumq; , ludens
Perlege, & munus placido clientis

Accipe vultu.

Hos tibi Faunus, Driadesq; Nijmphæ
Exhibent voto numeros perenni,
Musa siluestris mihi quos virenti

Suggestit agro.

Offerunt multi Cijathos, feruntq;
Annulos gemmis varijs micantes,
Plurimi sculpto preciosa donant

Vasa metallo.

Me tuis fœtum iuuat exhibere
Simplicis Musæ manibus súanem,
Candidæ verum specimen tibiq;

Tradere mentis.

REGIS ut saltem valeam benigni
Gratiam, promptumq; tui fauorem
Consequi vultus; audis quod vnum

Expeto votis

Rebus exuto fer opem paternis
Te precor; defer licitas ZAMOISCI
Supplicis voces Generose nostri

REGIS ad aures.

Pro Bonis clemens mihi REX agellos
Ut det ereptis alios, fideli
Utq; succurrat, tribuatq; tandem

Tecta clienti.

Iam tuis præstò, superos precamur
Sint pijs cœptis, meritisque digna
Præstitis Regno, Patriæq; Fata

Premia reddant

Vtq;


Vtq; successum tibi largiantur
Prosperum, vitæ reliquis diebus
Protegant, longos tribuant senisq;
Nestoris annos

Datum in Liuonia, ex Villa, Arci Lemburgen-
si vicina, Anno Domini M. D. LXXXIIIX.
sexto Idus Iunij: quo die CASIMIRVS REX Poloniae,
Regis IAGELLONIS Filius rebus humanis exemp-
tus est, Anno CHRISTI, M. CCCC. XXCXII,
Cui successit Filius IOANNES
ALBERTVS

Illus: Mag: Vrae

Obsequentissimus

Anselmus Boccius Liouonus



B.



CARMEN GRATVLATORIVM.

DE SERENIS-

SIMI, AC POTENTISSIMI

PRINCIPIS, AC DOMINI DOMINI SIGIS-

MVNDI TERTII, REGIS POLONIAE, & designati SVETIAE,

Magni DVCIS Lithuauiae, Ruffiae, Pruffiae, Mazoviae,

Samogitiae, Livoniae, Magniq; Principatus Fin-

landiae &c. Haeredis foelici in Regnum Po-

loniae ingressu & subsequente so-

lenni inauguratione, &

Coronatione

VSQVE adeo dilecta fides mea Musa? quid obstat?
Quid iuuat hos tandem deseruisse modos?

Cur mea Calliope petis exoptata latebras?

Abdita cum socijs quaeris & antra tuis?

Arripe dulcisonum, quo gaudes, arripe plectrum,

Et noua faelici concine metra cheli,

Fas sit Apollineis cantum prompsisse pharetris,

Fas sit & Aoniae tangere fila lyrae.

Te ptecor omnipotens nostris DEVS annue votis,

susceptum inculrae tu rege mentis onus.

Nam nouus ingreditur, quo non praestantior alter

REX in Saamaticas, te duce, CHRISTE plagas.

SVECORVM prodit genus alto e stemmate REGVM,

Fama SIGISMVNDVS Gentis amorq; suae.

Quiq; IAGELLONIS materno sanguine cretus

Oblata Arctoi sceptrum tuetur agri.

Hae Domus illustris bis centum floruit annos,

Produxit magnos ordine magna Duces.

Hae REGES longa serie stirps edidit octo,

Hos Regno fortes praeposuitq; viros.

B. 2.

Nam

Nam cepit augustum Regni diadema IAGELLO
 Princeps, multorum prima propago DVCVM.
 Præfuit hic populis multos fœliciter annos,
 Illius & fœlix pœsteritasq; fuit,
 Tum VLADISLAVS rerum moderaur habenas,
 Regia defuncti iura patrisq; tenet.
 Hic Regnis, opibusq; potens AMVRATIS iniqua,
 Intrepidus forti comprimit arma manu.
 Post crebra euadit fuis certamina Victor
 TVRCIS, hos magna clade virosq; terit.
 VARNENSI ast renouans pugnam infœliciter agro
 Obrutus à rigidis REX cadit ense GETIS.
 Tristia post Fratris CASIMIRVS fata perempti,
 Accipit imperio scepra verenda nouo.
 Fortiter hic validis prosternit viribus Hostes,
 Et membra in Regno perniciofa terit.
 Hic stirpem multa fœcundat prole maritus,
 Hoc REGE insignes proueniuntq; Duces.
 Nam LADISLAVS, soboles qui prima Monarcha,
 Vicinis retiner REX duo Regna locis,
 In REGEM electus Procerum per vota Bòemos
 Protegit, audaces PANNONIOsq; regit.
 Hinc & IOANNES ALBERTVS ritè coronam
 Obtinet, & Diui scepra parentis habet.
 Hic Schiyticas contra turmas est victor in armis,
 Hostiles prompto robore fundit Equos.
 Stirpis ALEXANDER post Quintus origine Princeps,
 Subiectos valido protegit ense viros.
 Condidit hic ampli REX iura salubria Regni,
 Et summa leges dexteritate tulit.
 Indè SIGISMVNDVS Fratrum tutatur honorem,
 Cum magna Arctoas laude regitq; plagas.
 Tartaricos Princeps compescit fortiter hostes,
 Agmina sublatis opprimit ampla viris.
 Quemq; SIGISMVNDVS sequitur post fata Secund⁹
 Hæres in Regno qui Patris vnus erat.

Pacis amans multos regnat foeliciter annos,
 Praecauet & populi REX nocumenta sui.
 Vltima REX NOSTER diua de stirpe propago,
 Postrema est horum progeniesq; Ducum.
 Hic fasces sumit, Regni retinerq; Coronam,
 Nunc & hiperboreos hic regit vnus agros.
 Legitimé Princeps per libera vota vocatus
 Sauromatûm fausto sidere tecta subit.
 Splendida quem Procerum comitatur pompa poten-
 Subsequitur summos Nobilitasq; viros. (tum,
 Hinc alij turmas Equitum longo ordine complent
 Millia multa suis conspiciuntur Equis.
 Conueniunt omnes læti, & fulgentibus armis
 Est praesto REGI Gens animosa suo.
 Eminet ipse Viros inter pulcherrimus omnes
 Insigni vectus REX Generosus equo.
 Ad GRACHI properat multis cum millibus urbem,
 VISTVLA vbi rapido gurgite uoluit aquas.
 Prisca IAGELLONIS Diui monumenta requirit,
 Accelerans, Vrbes, arua, domosq; petit,
 Ex voto hunc superum nobis clementia REGEM
 Iustum, veracem, magnanimumq; dedit.
 Hunc Procerum elegit semper laudabilis Ordo,
 Constituit REGEM gensq; Polona nouum.
 Grataq; Lithuanus suffragia reddidit omnis,
 Consona cum summis vota tulitq; viris.
 Has cum REGE Soror gemmis insignis & auro
 Intrat hiperboreas ANNA Ducissa plagas.
 Cum charo inuisit maternos Fratre penates,
 Possessa à priscis Regnaq; lustrat Auis.
 Occurrunt omnes Peditumq; Equitumq; cohortes,
 Sospes vt in tutum REX queat ire locum.
 Pergit ad antiquam per tot discrimina Regum
 Sedem, & pro patria mille pericla subit.
 Per medios properat REX imperterritus hostes,
 Illorum & forti sustinet arma manu.

Dum cursum tandem susceptum conficit omnem,
Et fausto durum sidere vincit iter.
Ut ventum ad celebrem GRACHI feliciter urbem,
Et recta vnanimes Arcis amana petunt.
Ecce Tubæ resonant, strepit alto tibia cantu,
Tympana perpetuos dantq; canora sonos.
Lætitia exultant Litæui, gaudentq; Poloni,
Edit plebs alacres officiosa modos.
Pars ludos reddit varios, spectacula multis
Exhibet intrepidè flammea parsq; locis.
Machina post duris Chalibum confecta metallis
Excitat ingenti pulsa fragore sonum.
Quæ concussa globis trepidantia mœnia tollit,
Et strepitu grandi templa, domosq; mouet.
Excipit ANNA pijs mox hos Matertera votis
REGINA, Arctoi fama decusq; soli.
Porrigit his dextram, placidèq; amplectitur ambos,
Oscula Cognatis præbet amica suis.
Tum Consobrinos gaudens deducit in arcem,
Et monimenta suis monstrat auita locis.
Traducunt blandis multas sermonibus horas,
Tempus colloquijs omne, jociq; terunt.
Cemplebunt hilarem vitæ sic suauiter vnâ
Cursum, longæuos sic peragentq; dies,
Inclitus hinc REGEM nullo rennente Senatus
Suscipit, & Dominum gaudet adesse suum.
Affatur post turba frequens reuerenter eundem
Nobilium, & lætos spargit in Vrbe sonos,
Accipit indè nouum fœlix Academia REGEM,
Crebraq; voce diu vota sonante facit,
Tum Ciues adsunt omnes, vrbisq; Senatus,
Principis & digno nomen honore colunt,
Huc infinitum populorum confluit agmen,
Incola longinquis aduolat omnis agris.
Accelerant Italus, Gallus, Germanus, & Indus,
Huc venit Armenijs Genosq; vetusta plagis.

Principis

Principis vt laudes celebrent, fremituq; secundo
Tollant, & REGIS nomen ad astra ferant,

Hinc prima est Procerum, summi & pia cura senat⁹,
Assentit magnis Nobilitatq; viris.

Ad sacram vt REGEM ducant solenniter ædem,
Consueto vt soluat vota, precesq; modo.

Ducitur & gen. mis, auroq; insignis ad aram,
Inuocet vt uera te pietate DEVM.

Vtq; roget flexis genibus, manibusq; supinis,
Quod velit his cœptis Numen adesse nouis.

Huc venit infinita manus Iuuenumq; senumq;
Omnes in templum res vocat ipsa Viros.

Optatam multis expectant mensibus horam,
Quam populis jam jam luxq;, diesq; feret.

Expectatus adest, portans noua gaudia, Titan,
Hic tibi REX fulget lætus honore dies.

Dij te summa vehunt magni ad fastigia Regni,
TE REGEM imperio præficiuntq; nouo,

Te DEVS electum tali dignatur honore,
Te Litauis MAGNUM constituitq; DVCEM.

Fata vocant, amplis domineris vt vnus in oris,
Vt tua Sarmaticas dextra regatq; plagas.

Conficit ANTISTES sacra mox reuerendus ad aram,
Et placido solitas concipit ore preces.

Distinctas vicibus voces post MVSICA multis
Edit, & alternos reddit amoena sonos.

His actis, Cathedræ ascendit fastigia PRAESVL,
Declarans promptam cum pietate fidem,

Stemma SIGISMVNDI primó deducit, & alta
Augustæ quæ sit stirpis origo refert.

Conuentus causam celebris post ordine monstrat
Quid valeat sceptrum, quid Diadema docet.

Pertexit suauis iuueniles carmine laudes,
Factaq; sublimi voce pudica sonat.

Pro REGIS tandem fundit pia vota solute,


Ad summum nutu, qui regit astra, DEVM.
Hæc farus cessat, verbis vox alta quiescit,
Ut faciat finem, tempus, & hora monent.
Tum Regni Proceres, populos & conuocat omnes,
Sint præsto & lingua Præco sonante iubet.
Nam jurans leges stabilit REX gentis honestas,
Et jura elogijs munit adepta suis.
Has docet ANTISTES consuetas ordine leges,
Prisco cum pactis more Statuta refert.
Scilicet ut maneat diuini dogmatis vsus,
Anxia cœlestem corda petantq; DEVM.
Omnes ut CHRISTI venerandum nomen adorent,
Cum Patre qui simili regnat honore DEVS.
Inuocer ut populus simul & SPIRABILE NUMEN
Quod flatu aspirans nos docet, atq; regit.
Ut prisca vigeant ic̄to cum fœdere leges,
Sarmaticis maneant jura vetusta plagis.
Regni ut REX hostem frangat, populumq; rebellem,
Funesta & MOSCHI, cum volet, arma terat.
Utq; sub intrepidis omnes nos protegat alis,
Auxilia & ferro vindice tetra premar.
Ut viduas iuuet afflictas, miserosq; pupillos,
Hisq; suam prompto robore præstet opem.
Accipit oblatas Regni REX ordine leges,
Promittens placidè voce sonante fidem,
Hæc rata conceptis confirmat fœdera verbis,
Et vota elogijs munit aperta suis.
Ut maneat firmi lus inuiolabile pacti,
Antiquo & vigeant more Statuta iubet.
Ergò gratamur, læti & laxamus habenas,
Te REGEM studijs excipimusq; nouis.
Vnanimes meritò nos terq; quaterq; beatos,
Fœlices omnis posteritasq; canet.
Quod dedit insignem Numen cœleste Monarcham,
Imperium nutu, qui reget omne, suo.
Ardua qui peraget Regniq; negocia solus,

Tempbra

Tempora qui placidè Martis iniqua feret.

Tum primum ANTISTES stabilito foedere sum-
Ad pia cum reliquis vota, precesq; redit. (mus
Augusta & Proceres capiunt insignia Regni,
Ad loca quæ recto tramite sacra ferunt.
Accipit hæc orans reuerenter PRAESVL ad aram,
Votaq; clementi reddit aperta DEO.
Extollit mira teneram dulcedine vocem,
Et renouat suauis cantica sæpè sono.
Nec mora, post idem cingit DIADEMATE REGEM,
Vt quondam ritus mosq; vetustus erat.
Tradit & electo mox regia SCEPTRA Monarchæ
Vt tegat arctoas, hisce regatq; plagas.
Inclitus accedit populo comitante Senatus,
Præstò est consueto Nobilitasq; loco.
Magnanimo dignos REGI gratantur honores,
Auspicijs optant vela secunda nouis.
Vna omnes votum faciunt, vno ore precantur,
Cum Patribus matres, cum puerisq; senes.
Post Tuba dat signum, resonant hinc Organa tem-
Buccina continuos datq; canora sonos. (plo
Accedit dulcis, qua nil præstantius vnq;
Largitum est nobis, MVSICA, grata DEO.

Post pius egreditur sacris REX ritè solutis,
Et loca festinans vrbs amœna subit.
Impositam capiti gemmisq; auroq; coronam
Gestat, constanti sceptrum tenetq; manu.
Auro ornata petit, nitidisq; Palatia gemmis
Pompa vbi Sarmaicæ splendida gentis adest,
Ad latus hic astant Proceres, Regniq; Senatus,
Ex omni hic præstò est Nobilitasq; loco,
Aurati vt dignos Equitis decernat honores
REX nudo in meritos (.vt decet.) ense viros.
Regius interea ter mille numismata passim



Vectus equo spargit sculpta Minister humi.
Quæ manibus subito rapit omnia vulgus auaris,
Regale hoc læto pectore munus habet.

HIS REX magnanimus confectis ordine rebus,
Arcis ad excelsæ testæ superba redit.
Ad cœnam inuitat placido mox ore Senatam,
Præstantem turbam Nobiliumq; vocat.
Hic videas dapibus tot millia fercula coctis,
Regia quos lautos mensa capitq; cibos.
Copia quadrupedum fuit infinita ferarum,
Syluestres varij suntq; coloris aues.
Est Dama, atq; ferox vrus, Bisonsq; Lepusq;
Caprea cum ceruis, Hinnulus, Alcis, Aper.
Accedunt Sturnus, Turdus, Capus, & Phasianus,
Grus, Cignus, Perdix, Attagen, Anser, Anas,
Turbidus hinc varios largitur VISTVLA pisces,
Multaq; quæ medio gurgite stagna ferunt,
Est Mullus, Sturio, Cancer, Limaria, Truta,
Carpio, Perca, Efox, Fundulus, Huso, Lupus.
Tum Cella hospitibus præbet vinaria potum,
Hoc capiunt omnes, vina petuntq; loco.
Hoc Proceres læti generoso nectare gaudent,
His fruitur lautis gensq; Polona cibus.
Exhilarat dulci conuiuas MVSICA cantu,
Dat Tuba perpetuos, dant Cijtharaq; sonos.
Iamq; epulis exempta fames, dapibusq; remotis
Effundunt varios, Rege monente iocos.
Colloquia ad multam producunt suauia noctem.
Prouocat exhaustum lætitiâq; merum.
Hi placidum celebrant generoso in pectore vultum
REGIS, & augustum nomen ad astra ferunt.
Regales animi dotes mirantur & omnes.
Et signa intrepidi Martis aperta vident.
Ergo parta tibi REX inclijte gloria floret,
Perpetuæ laudes, nomen, honosq; vigent.

Firmicus

Firmiter hæc nostris hærent Infixa medullis,
Et memori semper mente reposita manent.
Quid multis? læti exultant omnes, resonantq;
Quoquò te vertas, cantica blanda, lijs.
It clamor cælo, viuat REX, viuat in annos
Longæuos, populus, plaudite, clamat ouans.
Indé salutato reuerenter REGE Senatus
Surgit, & his finem nocte vocante facit,
Submissas dicit tanto pro munare grates.
Verbis adiungens vota, precesq; suis.
Abdita mox repetit suadente cubilia somno,
Hospitij recto tramite tecta subit.

Crastina vt Oceano tenebris aurora fugatis
Emicat, & Phœbi frena relaxat equis.
En iuuenum generola cohors producit Equestres
Ludos, & mira conficit arte iocos.
Hi præfixa viri torquent hastilia ferro,
Prælia fœlici crebra cientq; manu,
Sola secutura stimulat quos gloria laudis,
Nomen, honos, virtus, fama, decusq; mouent.
Addit & his animos clangorq; sonusq; Tubarum,
Ad pugnam armatos Tympana læta uocant.
Partituluenes procedunt agmine bini,
Et simul intrepidus progrediuntur equis.
Hi florent animis. hos & vernantibus annis
Vnanimes tali ludere Marte iuuat.
Hi galeas aptant, clipeis & pectora cingunt,
Hoc capiunt omnes, arma petuntq; loco.
Instituunt cursus rebus iam ritè paratis,
Ad pugnam vt properent hora, diesq; monent.
Nec mora, concurrunt collis fortiter hastis,
Edunt horrent dum dura metalla sonum.
Inceptum multis iterant congestibus ambo
Cursum, ex his valido dum ruit alter equo,
His alij, dum finis erit, longo ordine bini
C. Succedunt

Succedunt, pugnam suscipiuntq; nouam,
Feruida qui vicibus renouant certamina multis,
His totum insumit Gens animosa diem.
Succumbunt tandem, vincuntur & ordine multi,
Præcipites tumidis excutiuntur equis.
Sperantes minimè lapsum, tolluntur in altum,
Excipit excussos mollis arena uiros.
Victores summa peragunt cum laude triumphum,
Constituunt factis parta trophæa suis.

Indè alij Herôes porperant, ludosq; retractant.
Ad metæ instructum conueniuntq; locum.
Pendulus hastili nam tollitur Annulus acri
Cursu, consuetis corripiturq; modis.
Circulus hic campis in fune patentibus hæret;
Artis ab edoctis post capiturq; uiris,
Quadrupedum assumit species pars mille ferarum,
Pars habitu fingit monstra marina nouo.
Præbent exuias Panthera immanis, & uersus,
Terribilis Tigris, Lincq; voraxq; Lupus.
Pellicea hæc ludis delectat equestribus omnes
Vestis, & hac pulchris conspiciuntur equis.
Tum referunt alij Sirenum in corpore formam,
Ad dictum indutos hac iuuat ire locum.
Hi certo vnanimes maturant ordine cursum,
Præfixo & subdunt tempore calcar equis.
Consequitur laudes, hasta qui corripit orbem
Pendentem, & factis præmia digna capit.
Talibus auspicijs sic ducit victor honorem,
Muneribus meritum REX cumulatq; virum.
Discedunt tandem. ludis ex more peractis,
Ut migrent omnes, nox, tenebræq; monent,

Post matutina venerandus luce Senatus
Atria cum populis Arcis ad alta redit.
Conueniant vnà Litauī, properantq; Poloni,

Ablegat

Ablegat cultis quosq; Borussus agris.
Nam Sacramento sese Gens subdita REGI
Obstrinxit, prisco more fidemq; dedit.
Accedit primum generosa POLONIA REGEM,
Rumpat vt ingratas officiosa moras.
Principis hæc nunq; morituras ordine laudes
Prædicat, & blando tollit ad astra sono.
Instantes recipit pacis, belliq; labores,
REGI seruitijs gaudet adesse suis.
Obligat hinc jurans gens se solenniter omnis.
Promittens prisca, quam dedit ore, fidem.
Inclijta post REGI LITHVANIA reddit honorem,
Iucunda & MAGNO de DVCE plestra mouet
Hæc animo Dominum placido veneratur, & ornat,
Multis læta modis hunc amat, huncq; colit,
Obsequium magnis exultans plausibus offert,
Cum prompta & stabilem sedulitate fidem
Ostendit vultum sincero corde serenum,
Dat iuramento vota, fidemq; nouo.
Hanc sequitur magnam fœcunda BORVSSIA gentem,
Votaq; consueto reddit aperta modo,
REGIS & augustum multis extollit honorem,
Cum reliquis sceptrum concelebratq; nouum,
Hunc colit, hunc quarit votis ardentibus vnum,
Terra velut pluuias arida poscit aquas,
Muniri longis petit ictum fœdus ab annis,
Atq; Borussiaci lura vetusta soli.
Obsequium tandem concordi voce Monarchæ
Defert, & nullo dat renuente fidem.

Hinc REX Arctoas Liuonum misit in oras
Præstantes summa nobilitate viros,
Magnanimo vt Populus REGI solenniter omnis
Perpetuam digno præstet honore fidem,
Iamq; iter ementi, rebus suadentibus, vrbis
VVENDENSIS recto tramite tecta petunt.

Aduolat huc optata manus Iuuenumq; senumq;
VVENDAM Nobilium turba frequensq; venit.
Ardua Legati referunt mandata Monarchæ,
Iussa SIGISMVNDI REGIS & ampla docent.
Fœdus ad antiquum populos hortantur & omnes,
Hoc summa ut foueant sedulitate monent.
Haud mora, Gens dubijs consensum voce remotis
Constanti concors, vnanimiq; dedit.
Detulit & iurans sancito fœdere REGI
Obsequium, & magna cum gravitate fidem.
Multis pressa malis summi pôlt nomen adorat
REGIS, & inflexo poplite quærit opem.
Huius cum MOSCHVS ceruicibus ingruat atrox,
Indignèq; furens arua, domosq; petat.
Arma potens capiat nullo aduersante Tjrrannus,
Spicula crudeli tetra vibretq; manu.
Polluat, & sacras truculentus dissipet ædes,
Omnibus & reddat templa propfana locis.
Exuratq; vrbes flammis, matresq; papillis
Priuet lactantes gens scelerata suis.
Sic MOSCHVS quondam elapsis fœliciter annis
Fuaesto innumeros iustulit ense viros.
Sic & hiperboreis olim grassatus in oris,
Membra dedit rabidis dilanianda feris.
sicq; meis rebus me barbarus exuit hostis,
Proh dolor, & patrijs sanguinolentus agris.
Sæuijt ex voto multos crudeliter annos,
Impunè excultas diripuitq; plagas.
Dum placata DEI miseris clementia tandem
Succurrens, prompto robore misit opem.
Dum DEVS & uindex populos est vltus inermes,
Et scelerum pœnas Gens truculenta luit.
Nam STEPHANVS magna vincit REX strage Tjrr-
Et caeso validos agmine fundit equos. (rannum
RVSSORVM terram ferro populatur & igni,
Crudeles iusto tollit & ense viros.

Insiquitur

Insequitur rigidum unneroso milite MOSCHVM,
Ad VOLGAE rapidas Castra tuetur aquas,
Hunc immatura REGEM iam morte sepultum
Inuida PARCA suum sustulit ante diem.
Heu fera mors, heu tetra dies, heu funus acerbum,
Ac infinitis aspera Fata modis.
Quid STEPHANVM subita morte interiisse poten,
Rebus & humanis quid rapuisse iuuat? (tem
Ah fuit id fatis visum, quod REGIS atroci
Magnanimi letho membra perempta iacent.
Est homine ergo nihil toto ærumnolius orbe,
Quem premit innumeris fors violenta malis.
Lætarur nimium primæuo flore Iuuentus,
Et tempus nugis omne, iocisq; terit.
Exultat rebus lasciuia Puella secundis,
Fœmina iamq; suis gestit, anusq; locis.
Tum læti saliant animis florentibus omnes,
Cum patribus matres, cum puerisq; senes.
Concidit ast eadem mutata sorte Iuuentus,
Vitaq; cum gemitu luxuriosa perit
Florica succumbit miserando funere virgo,
Corpus & in cinerem, quod fuit ante, redit,
Inde tremunt omnes gelidi formidine lethi,
Et subito diræ mortis in antra ruunt.
Bulla leuis veluti per aquas inflata tumescit
Et sauo venti flamine mota perit.
Vt læto exultat Rosa blandi tempore veris
Florescens, hortis conspicienda suis.
Luxurians de se fragrantem spirat odorem,
Omnia flos oculis reddit amœna tuis.
Fortè venit præceps violentis flatibus imber,
Tollit odoriferam, quæ fuit ante, Rosam.
Sic HOMO mille subit rigidæ discrimina mortis,
Et fato miserè sic veniente perit.
Ah sic occubuit morbo REX fractus acerbo,
Clausit & extremos, morte vocante, dies.

Est celebri GRODNAE Liraeorum extinctus in arce,
Hic vitam superis, hic animamq; dedit.
Hic REX exanimis bis menses octo quieuit,
Et jacuit mœstis putre cadauer agris,
Dum tandem ad GRACHI multis comitantibus vr-
REGIS vbi tumulus, corpus, & ossa ferunt. (ben
Ad sacram vt pergunt flentes solenniter ædem,
REGIS & in fausto tramite busta petunt.
Infinita sonant altis in turribus æra,
Et tristes passim dant sine fine modos.
Præcedit legio Puerorum sedula funus,
Lugubri mœstos carmine datq; sonos.
Multa Sacerdotum longo ordine milia cantant,
Funereas gestat turba frequensq; faces.
Indutus pulla sequitur REX veste feretrum,
Tristia qui taciti signa doloris habet.
Munera post peragit REGINA suprema marito.
Busta sui lachrymans luget acerbâ viri.
Quamq; Puellarum placidè comitatur euntem
Ad tumulum celsa tristis ab arce chorus.
Tum BATORAEORVM illustri de stirpe propago
Cum Fratre ausonius Principe Præsul adest.
Qui deflent obitum miserando in funere REGIS,
Persoluunt Patruo debita iusta suo.
Hinc longo Proceces incedunt ordine Regni,
Plorant, quod STEPHANVM mors inopina tulit.
Turba hos Nobilium sacram comitatur ad ædem,
Pars vellit crines, Pars lacratq; genas.
Exitinctum lachrymis REGEM plebs lugens obortis,
Hunc Patriæ Patrem flensq; dolentq; vocat.
Vt uentum ad tumulum ductumq; ad Busta cadauer,
Cantica lugubri mœsta silentq; sono.
Ascendit cathedræ loca mox sublimia PRAESVL,
Declarans solitam cum pietate fidem.
Multis extollit facta immortalia REGIS
Quæ nulla essari iniquaq; voxq; potest.

Insinuis

Sustinuit pacis quos tempore mille labores,
Quæ tulit & Martis mille pericla refert.
Hic omnes Præsul percurrit & ordine laudes,
Partaq; lugubri voce trophæa canit.
Descendit tandem, verbisq; imponere finem
Cum lachrymus luctus, cura, dolorq; iubent.
Indé Sacerdotes peragunt sacra mystica multi,
Ad summum fundunt vota, precesq; DEVM.
Iam cantus iterant Pueri, lugubria passim
Cantica mox Iuvenes, mox renouantq; senes.
Exanimem hinc STEPHANVM condunt de more se-
Et reddunt putri membra caduca solo. (pulchro
Ut REX in tumulo placida sic morte quiescat,
Huius & in Domino molliter ossa cubent.
Ergò lugendi modus omnibus, & lacerandi
Sit finis tinctas Imbre madente genas.
Quid planctus? qui? crebra volunt suspiria? guttis
In vestros liquidis quid fluit vnda sinus?
Quid REGINA tuus vult Illustrissima luctus?
Fundere continuas quid lachrymasq; iuuat?
Quid multis animum prodest turbare querelis?
Et mentem curis exagitare malis?
Quod tulit atra dies, & funere meruit acerbo
REGEM, & quod finem fata dedere suum.
Quod vitæ exactis Coniunx fœliciter annis
Hinc migrans misero desijt esse solo.
Debebat meritò longæuæ secla Sibyllæ,
Annos & Pisleos viuere dignus erat.
Nam si perpendas facta, & res ordine gestas,
Et confecta suis horrida bella locis.
Si spectes MOSCHI cladem, quis fortior illo?
Dum sæiuo ESTIONVM texit ab hoste plagas.
Dum propria immanem repulit virtute Tyrannum
Exusta vt patrij linqueret arua soli.
His immortalem meritis REX vndiq; laudem,
Nomen & æternum, quo celebretur, habet.

D.

Accedunt

Accedunt animi dotes, quibus auctus, Olijmpī
 Eue xit STEPHANVS nomen ad astra suum.
 Iustitiam in primis coluit REX inclitus almam,
 Omnibus ex æquo iura petita dedit.
 Tum scelerum vindex atrociam crimina pœnis
 Subdidit, & prauos sustulit ense viros.
 Multiplices taceo linguas, vocemq; disertam,
 In quibus excellens omnibus vnus etat.
 Adde, quod amplexus quasuis fœliciter artes,
 Præmia magnanimo Principe digna tulit.
 Scilicet exemplo veterum florescere Regum
 Immenso voluit nomen in orbem suum.
 Nam priscos fastos, & sidera nouit ACHILLES,
 Quæ quondam in clipei margine picta tulit.
 Astorum occasum, simul obseruauit & ortum
 Quæ multas anno dantq; negantq; vices.
 Magnus ALEXANDER carmen dilexit HOMERI,
 Quod capiti noctu supposuitq; suo.
 Haussit ARISTOTELIS præclaras fontibus artes,
 His palmam rara sedulitate tulit.
 Hunc sequitur multis ADRIANVS Cæsar ab annis,
 Qui solide Medica doctus in arte fuit.
 Stellarum nouit cursus anniq; futuros,
 Consuevit proprio Marte notare dies.
 Quid memorem CAROLVM digno cognomine Mag.
 In toto summum qui tenet orbe locum. (num.
 Nam Graios haussit fontes, didicitq; Latinos,
 In quibus exulta voce disertus erat.
 Extitit insignis selecto carmine vates,
 In lucem numeros sparsit APOLLO tuos.
 Addidit ingenuas studijs fœlicibus artes,
 Lucida cœlestis iunxit & astra poli.
 Hic CAROLVS iusto post ordine mensibus anni,
 Nomina & ignotis statibus apta dedit.
 Imperij, his fretus, REX est moderatus habenas,
 Cum laude & Populos rexerit in orbe suos.

Sic.

Sic STEPHANO doctos Musarum quæreret fontes
Mens fuit, & dulces sic Heliconis aquas.
Sic solers animo rerum prudentia mansit,
Gloria parta suis emicuitq; locis.
Posteritas igitur te REGEM concinet omnis,
Carminibus tollet plebs studiosa nouis.
Dum solitos peraget cursus, & mundus, & æther,
Aurea dum cœli voluet & astra polus.
Hic MOSCHVM fregit, iaculis, animoq; furentem,
Hunc STEPHANVS multis REX domuitq; locis.
Inclitus hunc strauit cum REGE ZAMOISCIVS
RVSSORVM forti pressit & arma manu, (hostem
Compulit, Estonicas confestim vt linqueret oras,
Turpiter & reliquo cederet Hostis agro.
Cessit atrox sortem deplorans MOSCHVS iniquam
Possessam inuitus deseruitq; plagam.
Migravit genus inuisum, insanaq; colonis
Mente fremens priscis, arua, domosq; dedit.
Cumq; suos specula redeuntes vidit ab alta,
Ruptaq; dispersis agmina vidit Equis.
Sustulit hanc belli molem perterritus omnem,
Munita & proprijs pacē quieuit agris.
Haud secus vt quondam cœlum inuasere Gijgantes.
Armaq; crudeli corripuere manu.
Vt folio superũm detrudant Numen ab alto,
Inuictum cœlis eijciantq; IOVEM.
Ast ira accensus tumidos DEVS ære trifulco
Reppulit, hos cœlis præcipitesq; dedit.

ERGÒ SIGISMVNDE ð Princẽps, iuuenilibus eusem
Cinge humeris, ferrum corripuisse iuuat.
In MOSCHVM, si bella mouet, conuerte furorem,
Pro meritis hosti præmia redde tuo.
Præbuit exemplum STEPHANVS, monstrauit &
Et documenta tibi Martis aperta dedit. (vsum,
Hic tibi Sauromatũm vires, hic arma reliquit,

Affinem, quem nunc REX imiteris, habes.
Nam nos persequitur crudeli barbarus ense,
Et saevo horrendas euomit ore minas.
Tolle viros ô REX rabidos, compeſce Cyclopes,
Sit procula nostris truxq; Tyrannus agris.
Sic insana tremet te turba, & Moschica tellus,
Sic RVSSIS terror grandeq; fulmen eris.
Inde tegat populum tua Regia dextra vagantem
Qui stabilem iam iam quarit inermis opem.
Fac prisca redeant vires, animusq;, vigorq;,
Sarmaticâ auspicijs floreat ora tuis.
Pro lachrymis maneant risus, pro funere vita,
Omnia sint nostris, te duce, læta locis.
Sic tua pro meritis tollent encomia gentes
Arctoæ, nomen posteritasq; canet.
Te REGEM, Dominumq; ornabit laudibus omnis,
Pristina qui patrij possidet arua soli.
Sauromatæ vnanimi dicent te voce beatum,
Regia longinquis facta canentq; plagis.
Siue solum subeant Lybicos quod vergit ad austros,
Arctoas malint seu peragrarè niues.
Siue atræ nudam penetrent Garamantidos oram,
Esse sub Eoo seu magis axe velint.
Quid multis? nulla extinguunt obliuia Princeps,
Nec tollent laudes hora diesq; tuas.
Tempus edax nunq; delebit, & alta vetustas,
Regale & meritum mors nec amara teret.
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt,
Lucida cœlestis dum reget astra polus.
Tempus erit sacrum, lux & memoranda Polonis,
Hæc Regni Præsul qua tibi sceptrâ dedit.
Hæc est illa dies, quæ nobis vna salutis
Spem certam, vitæ præsidiumq; feret.
Hæc est illa dies, qua temnent tela Tyranni
Liuoni, diras despicientq; faces.
Iam nos te regnante pauor REX inclite nullus
Turbabit

Turbabit, membrīs nec dolor vllus erit.
Cessabunt gemitus, lachrymæ, suspiria, planctus,
Obruta mens curis nil metuetq; malis.
Læticæ, risus, & gaudia prisca manebunt,
Pax pulso & patrijs Marte vigebit agris.
Tradita dum Regni retines tibi scepra potentis,
Et tua dum viuens spūitus ossa trahit.

Quare agé, qui nutu rerum moderaris habenas,
Unus & in cœlis, qui regis astra, DEVS.
Hisce SIGISMVNDI fœlicibus annue cœptis,
Concede auspicijs vota petita nouis.
Da facilem vitæ cursum, Zephirosq; secundos,
Sit cunctis prosper flatus, & aura locis.
Tu fer opem, & contra quosuis defende Tijrannos,
Diuina MOSCHI contere tela manu.
Fac viuat multos REX vt longæuus in annos,
Et fausto vitæ sidere tempus agat.
Protege præstantem Regni virtute Senatū.
Vt solitam præstet sedulitate fidem.
Vnanimi peragat consensu iussa MONARCHAE,
Augustum & digno nomen honore colat.
Sauomatūm serua stirpemq; domumq; benigné,
Floreat vt meritis gens animosa suis.
Sic tua CHRISTE canet populos REX facta per
Et referet laudes ore sonante tuas. (omnes,
Sic toto dicet dignas tibi pectore grates,
Dum mens corporeo carcere clausa manet.
Plaudite vos tandem, REGIq; applaudite Musæ,
Debita consuetis reddite vota modis.

FINIS.

